

467.

1259 d. 3 Apr.

Munsö.

Ärke-Bisk. LARS I:s i Upsala Aflatsbref för dem, som i synnerhet på helga korsets högtider besökte Predikare-Brödernas kyrka i Sigtuna, hvarest ett stycke fanns af Christi korsträd.

D. a. 7: 161: \*)

Frater Laurentius miseratione divina Upsaliensis Ecclesiæ Archiepiscopus Universis Christi fidelibus præsens scriptum inspecturis salutem perpetuam promereri. Quoniam intelleximus apud dilectos filios nostros fratres prædicatores Sictuniæ in ecclesia beatæ virginis Mariæ, partem ligni salu-  
tiferi, in quo pependit salus omnium, in cruce ad hoc convenienter præpara-  
rata venerabiliter contineri, volentes ejusdem ligni salutaris honorem am-  
plius et devotius in populo dilatari; Omnibus vere pœnitentibus qui in sex-  
tis feriis ad Ecclesiam supradictam ibidem missam ad altare Sanctæ crucis  
auditori convenerint III. dies de injuncta sibi pœnitentia, auctoritate Dej, qua  
fungimur, misericorditer relaxamus. Eis vero, qui tenentur in dictis feriis  
in pane, et aqua jejunare, pisces comedendi, et cerevisiam bibendi, licen-  
tiam indulgemus. Præterea in festis Sanctæ crucis videlicet inventionis et ex-  
altationis et VI. feria Parasceves, qui præfatum locum ob reverentiam sanctæ  
cruis et ligni benedicti devote visitaverint XX dierum indulgentiam conse-  
quantur. Datum Munsæo anno Domini M°.CC°.L°.IX°.III Nonas Aprilis.

(L. S.)

468.

1260.

MARGARETA PETERS DOTTERS Testamente af Moraby gård och en mark silfver till Gudbergs klo-  
ster, samt till Warnhem, Lödöse och zine Skara kloster hvar sin mark silfver.

A. 4. a. 5.

In nomine patris & filij & spiritus sanctj Amen. Ego margareta petri  
quondam filia sciens morte nichil esse cercius nichilque incertius hora mor-  
tis Nescit enim homo finem suum. ut dicit sapiens sed plerumque cum di-  
xerint pax & securitas tunc aliquibus intestatis superuenire solet interitus  
repentinus. Hec inquam & alia multa considerans anime mee saluti uolens  
consulere tempestiue ad uoluntatem mariti mei condidi tēstamentum. In quo  
cum eiusdem consensu predium suum in moraby cum marca argenti clastro  
gudem delegau. & in remissionem peccatorum meorum cuilibet clastro ui-  
delicet varnhem. clastris fratrum maiorum & minorum scaris. & clastro  
lydosiensi marcam puri argenti delegau. Sed ne predictis clastris super hac  
mea

---

\*) Der med anteckningen: collationerad med Orig. Perme-Brefvet.

mea donatione possit aliqua calumpnia suboriri presentem huius testamenti cartulam mei secreti. & mariti mei sigilli munimine duxi roborandam. Contestans singulos & uniuersos sub suarum periculo animarum. ne quod a me legittime est donatum aliquis quasi sub alicuius allegationis pretextu audeat reuocare. Acta sunt hec Anno domini. M°.CC°.LX°.

Sigillet är något skadadt i kanterne,

469.

1260 d. 23 Febr.

Örebro.

BIRGER JARLS intyg att SUSANNA, KETILØGS hustru, i testamente gifvit Linköpings Domkyrka andel i Apaldby, samt att hon lemnat Bisk. HENRIC i Linköping delar i Wreta och Apaldby i utbyte mot Wrångstad, hvilket Biskopen sedermera ordentligen köpt och lemnat henne hemmanet Christaberg till underhåll i hennes lifstid.

A. 3. o. 1. 4. \*)

Uniuersis christi fidelibus Presentes Litteras visuris uel auditoris. B. Dei gracia Dux sweorum salutem in filio uirginis benedicto. Cum propter Labilem hominum memoriam sepe contingat. ea que rationabiliter facta fuerint jn dubium reuocarj. Cautum est & consonum rationi. vt ea que memorie merito debeant commendarj. scriptis specialiter confirmentur. Hinc est Quod presentibus Litteris constare volumus vniuersis tam presentibus quam futuris. Quod Domina Susanna uxor Ketiløghi. sana & incolumis. testamentum suum jn presencia nostra ac venerabilis patris Domini. H. Lincopensis Episcopi. condidit in hunc modum. Nam duos Octenarios ibidem in apaldby sites contulit ecclesie Lincopensi. inperpetuum possidendos. Fecit eciam postmodum dicta Domina cum eodem venerabili patre prediorum permutacionem. Recipiens ab ipso Sex octenarios jn wrangastath. Loco quorum sex alibi restituit. tres uidelicet in Wretum. & tres in apaldby superius nominata. Post hanc igitur bonorum commutacionem Dictus Dominus Episcopus Eosdem dictos sex octenarios in wrangæstath. prohibitis legum obseruacionibus. ab eadem predicta Domina. Empcionis titulo Legaliter est adeptus. Preterea noueritis. memoratum Dominum episcopum lincopensem. prefate Domine. S. ad sui sustentacionem tempore uite sue. mansionem suam que est in cristabærgh. cum omnibus suis attinenciis. Tam decimis & exactionibus quam prediis. tam eciam molendinis & piscariis quam colonis. cum consensu & uoluntate tocius capituli lincopensis in nostra presencia specialiter concessisse. Jn huius igitur rei testimonium presens scriptum. tam nostro. quam dicti domini lincopensis necnon & eiusdem Capituli sigillis Duximus necessario muniendum. Datum Örebro. Anno Domini. M°.CC°.LX. VII°. Kal. Marcij.

Sigillen: N:o 1. bortfallet, N:o 2, 3 mycket skadade.

\*) Tidsbestämmelsen är så tvetydig att den äfven skulle kunna utmärka d. 1 Mars 1267.